

DRACONTIUS

ORESTIS TRAGOEDIA (974 vers)

v.1 Gaudia maesta canam detestandosque triumphos :
 2 victoris pro laude necem, festiva cruenta,
 3 funeris affectus et lamentabile votum
 4 conjugis Iliacae, non quae jugularet Atridem,
 5 laurea regali rutilantiaserta cruore
 6 et diadema ducis foedatum tabe cerebri ;
 7 matris in exitium memorem oblitumque parentis,
 8 impietate pium, reprobae probitatis Orestem,
 9 injustos, sed jure, deos ratione feroci
 10 insontemque reum, purgantia templa sororum
 11 Thracia, virginitas qua dat de clade salutem,
 12 fraude pia mendax melior germana sacerdos.
 13 Te rogo, Melpomene, tragicis descende cothurnis
 14 et pede dactylico resonante quiescat iambus :
 15 da valeam memorare nefas laudabile nati
 16 et purgare foro quem damnavere sorores,
 17 quem dolor accendit, pudor excitat, erigit ira,
 18 mens levat, attollunt animi, bonus impetus urget
 19 (dat furor arma pius, pietas dat noxia ferrum),
 20 et medicinales quatiunt sanare furores
 21 extinctos titulos victriciaque arma sepulta :
 22 criminis ultorem dum criminis amputat auctor
 23 et thalami vindex thalamo spectante necatur,
 24 ante toros jacet ille tori genialis amator.
 25 Ductorum ductor, regum rex, dux Agamemnon
 26 post duo lustra redux et post duo bella triumphans
 27 Martia bellipotens referebat classica princeps,
 28 puppibus Argolicis rex Pergama victa reportans
 29 Iliacasque nurus et Troica germina matrum.
 30 Divitias Asiae rex censens corde silenti
 31 maxima fulmineo dictabat dona Tonanti,
 32 optima Junoni scribebat munera magnae
 33 atque Minervali dona addicebat Athenae,
 34 omnibus et superis, Danais quicumque favebant.
 35 Nescius uxoris scelerumque ignarus Egisti
 36 dona Clytaemestrae non dignae multa parabat ;
 37 plurima subridens genitor disponit Oresti,
 38 quae aptabat pietatis amor vel origo patema,
 39 non tamen aequa simul meritis animisque futuris ;
 40 dona verecundae servabat pulcra puellae.
 41 Interea findebat iter per caerula ponti
 42 irato tranquilla deo recidentibus euris.
 43 Candida fluctivagi tendebant carbasa venti :
 44 quo non cursus erat, sed quo dux impulit auster,
 45 Taurica perducunt ad litora castra Pelasga.
 46 Imperat indomitus praedam praeire Mycenis
 47 ipse secuturus post vota soluta Dianae.
 48 Ingreditur templum supplex, veneranter adorat
 49 numina casta deae. Dum ferret munus ad aram

50 (stamina purpureum pingebant serica velum,
 51 pepla coruscabant variis gemmata lapillis),
 52 vidit Iphigeniam turibula sacra ferentem.
 53 Haeret et attonitos oculos in virgine figit :
 54 obstipuit pietas et mens sibi conscia pravi.
 55 Agmine pro Danaum cultro feriente litatam
 56 noverat et similem nasci potuisse putabat.
 57 Candida virgo tamen plus jam cognoscere patrem
 58 coeperat, officium citius dedit ipsa ministrae.
 59 Mystica continuo sumptum vas igne replevit ;
 60 regia virgo cito per patria colla pependit,
 61 oscula pura petens et dans, commercia mundi ;
 62 mox imber rigat ora pius nataeque patrique.
 63 Conticuit genitor, dum vultus gaudia plorant
 64 et gemitus crebris singultius oscula rumpunt ;
 65 tandem vocis iter pietas reseravit et inquit :
 66 "Filia, noster amor et noster, nata, reatus,
 67 vivis an effigies et imago volatilis extas ?
 68 Sic barathro non es sacrata morte dicata ?
 69 Gaudeo, da veniam ; sic corrui ense deorum
 70 nam vivam te membra docent actusque fatentur.
 71 Dic igitur, qua sorte manes a matre dirempta,
 72 ad delubra deae postremum tempora vincta
 73 et, quod plus miror, nemorali sacra Dianae ? "
 74 Dixerat haec genitor cui sic est virgo locuta :
 75 "Cum, pater, Hectoreos peteretis classibus agros,
 76 fraudis Ulixiae formatur epistola mendax,
 77 nomina vestra tenens, quasi jussis ipse venirem
 78 ocius ad thalamos conjux sponsantis Achillis.
 79 Credula mater erat, quae me commisit Ulixi ;
 80 nec vocor ad thalamos, sed victima trador ad aras.
 81 At mitis pia templa deae : miserante Diana
 82 pro me cerva datur lugenda vicaria nullis.
 83 Sic rapior cultris et servio turis alumna. "
 84 Casibus auditis doluit gavisus Atrides ;
 85 qui numen veneratus ait prece, pectore, ture :
 86 "Plectiferi germana dei, Letoia Phoebe,
 87 nomine tu quocunque dea praeclara vocaris,
 88 numine mox ipso praestas quocdcunque rogaris,
 89 mitior existens, sacrum largita cruorem,
 90 luctibus omissis donans lamenta parentum ;
 91 mucro sacerdotum fervet jejunos et expers
 92 sanguinis humani, contentus sanguine vili ;
 93 tu rapis ex aris animas et morte parata :
 94 pignora redde precor regi post funera patri,
 95 ut prosit dempsisse neci : tibi, Delia, supplex
 96 mille dabo pecudes, cervos hircosque suesque,
 97 cornibus armatas lunata fronte juvencas.
 98 Nil actum Trojae est, si non comitante Mycenae
 99 virgine pergo redux plangenti reddere matri,
 100 quam putat extinctam : vestra pietate redemptam
 101 sentiat et vertat proprios in gaudia planctus. "
 102 His precibus commota dea crudescit in iras :
 103 avertit vultus, oculos mentemque rogata.
 104 Sensit ut armipotens flammari corda Dianae,
 105 terretur retroque pedem cum voce coercet ;
 106 tristis ad aequoreos celerat vestigia fluctus,
 107 puppibus impositus proscindit cursibus aequor.

108 Interea dum carpit iter spumantibus undis,
 109 Fama Mycenaeanas volitans repleverat oras,
 110 advenisse ducem ditatum sorte duelli.
 111 Nec mora : praeda venit palmatis puppibus, omnes
 112 occurrunt oculi Danaeae de turribus urbis,
 113 moenia femineis replentur cuncta catervis.
 114 Captivos visura Phryges Agamemnonis uxor
 115 affuit, adventus metuens impura mariti.
 116 Qua visa cessere loco matresque nurusque :
 117 constitit insipiens, ut adultera, regia conjux,
 118 publica planctigeris execrans gaudia votis
 119 (anxia sollicito quatiuntur corda pavore),
 120 supplicium expectans scelerum veniente marito,
 121 atque oculos per cuncta jacet mandante timore,
 122 et pallor premit ipse genas fervore recenti,
 123 attamen infelix animo versatur adulter.
 124 Ast ubi non vidit descendere puppe tyrannum,
 125 impunita putans sua crimina posse manere
 126 gaudet et internae mentis secreta fatetur
 127 permixtus candore rubor pallore fugato,
 128 et lasciva reos pulcrescunt gaudia vultus.
 129 Credidit aequoreas quod rex sit mersus in undas,
 130 nec vult scire moras, tantum contenta quod absit,
 131 et celeri cupit ire gradu dictura maritum
 132 non reducem moeche ; sed spes ibi fallitur audax.
 133 Praeterea sors regis erat Cassandra sacerdos,
 134 inter Dardanas clades Danaumque triumphos
 135 non habita indigne, licet esset portio praedae.
 136 Ipsa Clytaemestrae sacro correpta furore
 137 longius exclamat : " Salve regina Pelasgum,
 138 ultio Dardanidum, captae solacia Trojae,
 139 tuque triumphalis domitor bone pastor Egiste,
 140 plumea cui praestant post pelles stramina lectum,
 141 quem post tecta casae regalis suscipit aula :
 142 quid dubitatis adhuc vestros relevare timores ?
 143 Perdite, ne pereat vestri cito fructus amoris
 144 (tempus adest et fata jubent et culpa perurget) :
 145 jam amputet eripiens victricia colla bipennis !
 146 Vos licet et similis maneat censura polorum,
 147 sit saltem mora longa reis, dum crescit Orestes.
 148 Victima carnificis nati post funera patris
 149 mater eris, tecumque ferox ferietur adulter
 150 Pyladis fodiente manu (mihi credite) cari.
 151 Vae miserum furor alter habet : purgandus Orestes. "
 152 Dixit et elisam retinent per transtra rudentes.
 153 Provida terruerant reginam dicta nefandam :
 154 it pallor super ora redux facinusque parare
 155 disponit sub corde truci, furor urget amoris
 156 sollicitusque timor grassatur mente paventi.
 157 Maesta domo quasi laeta redit terrente pavore,
 158 ingrediens thalamos suspiria longa trahebat
 159 corde premens gemitus et gaudia vultibus aptans.
 160 Quid rumor, quid fama ferat, quid nuntia portent,
 161 auribus attonitis lascivus quaerit Egistus.
 162 Quae sexus armata dolis sub fraude latenti
 163 incipit effari : " Juvenis, dic, quid sit agendum.
 164 Occidimus : redit ille meus post bella maritus
 165 victor et armatus, zelo mordente minatus

166 moribus Argolicis leges inducere castas
167 tristibus imperiis. Alieni criminis ultor,
168 quid faciat pro jure suo ? Moriemur inulti
169 et periet jam noster amor : mactabit utrumque
170 turbidus ante diem, solitus punire nocentes
171 letifero mucrone ferus. Spes nulla salutis
172 est, nisi vitalem contemnimus ambo salutem.
173 Gloria belligeri feriantur et arma tyranni,
174 et prior occumbat quam nostros sentiat ignes,
175 prospera bellorum quem sic fecere superbum
176 et Priami fortuna nocens, ut sanguinis usu
177 humani generis vilem putet esse cruorem.
178 Per te casta negor, per te fero damna pudoris
179 nec volo tam multi sceleris reperdere fructum.
180 At verbis inimica loquens, extorpeo factis ;
181 communis nos casus habet vitaeque necisque,
182 est nobis commune bonum, commune periculum,
183 sors pariter nos una manet : jubeoque rogoque,
184 pastorem regina monens ; formidine mortis
185 territa sollicitor miserandi femina sexus,
186 conveniens tamen hortor opus, dum congrua vitae
187 impero, ne moriar tecum peritura cruenta ;
188 nam mecum miser ipse cades Agamemnone viso,
189 impie. Funereis nos casibus eripe sollers ;
190 nec labor ullus erit victorem sternere ferro :
191 semper iners, securus agit, qui perculit hostem,
192 et patet insidiis nullo terrente quietus.
193 Non est quem metuas : brevis est et parvus Orestes,
194 unaque natarum cinis est per templa Dianae,
195 altera sexus iners, recidens, miseranda, quid audet ?
196 Exulat interea Menelaus alter Atrides.
197 Quidquid agis, impune geris, scelerisque peracti
198 sic merces, non poena datur ; felicior ibis
199 atque Agamemnonio regno potieris et aula ;
200 exemplumque recens tibi jam superaddo, Lacaenam
201 interfetricem tot regum, tot populorum
202 vivere felicem post funera tanta quiete.
203 Nec metuam Danaos : heredem servo Thyestis. "
204 Dixerat haec mulier, spes est data major Egisto.
205 "Tramite, dic, quo ", pastor ait, " geminare valebo
206 hoc tam grande nefas ? Labor est extinguere regem
207 atque triumphantem quod plus in principis aula. "
208 Tunc pandens regina viam scelerata profatur :
209 "Bellorum maculis et crasso sanguine vestem
210 rex ferus imbutus veniet ; mutare necesse est
211 indumenta duci : tunicam dabo vertice clauso.
212 Dum caput indutum cupit exertare tyrannus,
213 egredere praeventor atrox, violentus Atridis
214 finde secure caput, cervicem, colla, cerebrum.
215 Ultima res tantum quae restat sola juvabit.
216 Consilio succumbe meo : haec una medella est,
217 luctibus illatis avertere funera nostra.
218 Dum moror, adveniet nostri modo criminis ultor. "
219 Haec infausta loquens lacrimis simul ora rigabat.
220 Turbidus in ferrum rapitur flammante timore
221 (audacem facit ipse pavor terrorque protervum)
222 et movet armatos ictu quatiente lacertos
223 absentemque ferit pavidus quem non videt hostem.

224 Sic solet anguis hians obsesso fonte venenum
 225 fauce parare necis fatis mortalibus aptum
 226 pectore sublatu lingua vibrando trisulca.
 227 Motibus his mulier melius gavisu resumpsit
 228 turpiter infames animos : rediv illa voluptas.
 229 Impete plectibili per rustica colla pependit
 230 dulcia lascivis defigens basia labris ;
 231 ille vicem redhibens dabat oscula crebra per artus.
 232 Dum commune nefas aequali mente fruuntur,
 233 regia puppis adest variis ornata coronis.
 234 Plus magis audaces animos de crimine sumunt :
 235 illa rapit tunicam, pastor rapit inde bipennem.
 236 Officio stat quisque suo : celatus adulter
 237 intra claustra latet, mulier progressa parumper
 238 morte maritali tunicam subnixa ferebat.
 239 Rex rate descendens tacta tellure triumphat :
 240 bellorum maculis rutilabat, sanguine pulcher,
 241 grandis in aspectu, pugnarum horrore decorus ;
 242 qualis erat referens caelo post bella gigantum
 243 Juppiter astriferam stellata fronte coronam,
 244 atque coruscales fundebat vertice flammis.
 245 Pignora naturae concurrunt dulcia patri ;
 246 itur in amplexus et reddunt oscula danti.
 247 Luminaolvebat genitor visura jugalem,
 248 pergite et ad thalamos post publica limina portae.
 249 Impia quae reducem fallaci voce salutata :
 250 "Belliger armipotens, cultus depone minaces
 251 atque habitus dignare pios vix pacis amator ;
 252 en tibi vestis adest nostro contexta labore,
 253 aurea purpureo radiantur fila colore. "
 254 Dixit et exutum tutanti tegmine regem
 255 callida funereo perfundit corpus amictu.
 256 Sed capiti dum quaerit iter tunicaeque fenestram,
 257 illa manum retinens armatum accivite Egistum.
 258 Erigit ille trucem dextra vibrante bipennem
 259 et ferit incautum caput impius impete mortis
 260 ac diademam frangit cum vertice frontem
 261 in partes hinc inde duas ; geminantur et ictus,
 262 terque quaterque ferit, diffundit testa cerebrum.
 263 Regina laudante manum rex concidit insons,
 264 saucius et tremulo quatibet corpore terram ;
 265 sic aper implicitus venantum cassibus ingens,
 266 dum cupit exiliens evadere retia torvus,
 267 concutit ora ferox spumantia dentis adunci
 268 et perdit vacuos collis morsibus ictus :
 269 sic Asiae domitor consumptus fine cruenta ;
 270 heu, pastoralis populavit membra securis.
 271 Aspera sors hominum vel mens ignara futuri !
 272 Credere quis posset, si centum flatibus acta
 273 Delphica fatidicos quateret cortina recessus
 274 antra movens tripodasque ciens et plectra fatigans,
 275 eversorem Asiae foderet quod cultor agelli
 276 aut desertor iners, ovium pecorumque magister,
 277 et caret igne rogi, dederat qui Pergama flammis !
 278 Discite felices non unquam credere fati :
 279 sunt faciles dare summa dei, tamen ante relinquunt
 280 et miseros in fine nocent aut forte repente
 281 destituunt poenasque petunt de sorte secunda.

282 Credere qui non vult, Priameia fata revolvat
 283 atque Agamemnoniam videat male credulus aulam.
 284 Clade repentina premitur Pelopeia virgo,
 285 sed tamen ultorem patris servavit Orestem :
 286 faucibus eripiens germanum Electra parentis
 287 imposuit puppi secumque adduxit Athenis
 288 et bene sollicita studiis sapientibus addit
 289 (quae ratis advexit regem, haec pignora regis
 290 spesque Agamemnonias et Troica gaza reportat).
 291 Cujus erat nimium fidus Pylades amicus ;
 292 junxerat hos studium sollers et gloria linguae.
 293 Velle fuit commune viris et nolle duobus :
 294 exercebat opus juvenes si forte palaestrae,
 295 pacatum luctamen erat ; per lustra ferarum
 296 venandum fuerat : socios venatus habebat ;
 297 cornipedem si quisque levem frenabat habenis,
 298 hoc similis faciebat amor ; proludere telis
 299 si fuerant animi, juvenis jaciebat uterque ;
 300 par bene lusus erat pueris, si calculus ibat,
 301 nec vinci est quisquam metuens nec vincere fervens.
 302 Sic amat atque fovet germanum Castora Pollux
 303 et paribus votis Pollucem Castor amavit,
 304 mortibus alternis et vitae damna repensant.
 305 Vestibus induitur Tyriis homicida et adulter
 306 et poenale caput cingit diadema coruscum.
 307 Tanquam legitimus heres Agamemnonis aulae
 308 (et magis heredem convenerat esse Thyestis)
 309 intrat et orbatum per singula quaerit Orestem.
 310 Ast ubi res Danaum defossas sensit Egistus,
 311 Trojanas raptaret opes spes una manebat :
 312 has quoque cognovit regis cum pignore raptas.
 313 Aestuat impatiens, quod regni nomen inane
 314 offendit, quia perdit opes, quibus esse tyrannus
 315 posset et armari ferroque auroque valeret.
 316 Callida participem sceleris solatur et arte
 317 fraudis et ancipitem confirmat in arte manere :
 318 femineas ostentat opes quas sexus habebat
 319 et diademales, profert quas garrula, capsas,
 320 turpibus inducens pretiosa monilia membris.
 321 "His ", ait, " Argolicos emimus per regna favores
 322 muneribus proceresque novos veteresque trahemus
 323 in nostram transire fidem ; nam principis uxor
 324 cujuscunque libet, licet extet pulcra, pudica,
 325 censibus his ornata nitens placare maritum
 326 aggreditur : praesumpta suae dulcedine linguae,
 327 divitiis armata meis haec dulce venenum
 328 auribus attonitis fundet blandita perite,
 329 mollibus artifices jungens amplexibus artus,
 330 et faciet nobis sublimes sexus amicos.
 331 Pulcrius est aurum, sed femina pulcrior auro :
 332 auro foeda placent, auro decorantur honesta,
 333 emollit Cytherea trucem per proelia Martem.
 334 Crede mihi, juvenis, de sexu femina tracto. "
 335 Artibus his sollers animos reparavit amantis
 336 et gratis gavisus agit muliebribus ausis :
 337 sordida mens regnare cupit, dux sceptrum tenere.
 338 Extinctum sub fraude ducem nil tale timentem
 339 conjugis insidiis, ausu pastoris iniqui :

340 haec tacito sub corde premunt de principe cives ;
341 murmure sollicito flentes haec dicta loquuntur :
342 "Impia sic Lachesis Parcarum lege bipennis
343 censuerat regem tam turpi morte perire ?
344 Atque utinam juvenem per bella feriret Amazo
345 Penthesilea fremens, quam vix evasit Atrides,
346 et non infami prostratus morte periret
347 crimine cum gentis, Danaum cum clade suorum,
348 nec pede tractus humo jacuisset ab arce remotus,
349 cujus honore carens tumultatur nocte cadaver. "
350 Dic mihi, Musa, precor : qua re materna noverca
351 quaerere neglexit pueros et tradere captos
352 patris in occasus ? Dorylas libertus Atridis
353 et pueri nutritor erat fugientis Orestis.
354 Consilium mendax sollerti pectore sumpsit
355 fingere quod pelagus rabidum demersit Atridas
356 fluctibus aequoreis. Qui stans in litore dixit :
357 "Di maris et terrae, pietas et origo polorum,
358 naturae caelestis amor, mendacibus ausis
359 vos, precor, annuite et fallacia vota iuvate :
360 credar et advertar mendax assertor Orestis.
361 Tollere nam insontes cupio de sorte paterna,
362 quam mater plectenda parat vel vitricus hostis."
363 Dixit et undivagis vestitus fluctibus intrat
364 et mare caeruleo tumide spumantibus undis
365 mersus ad usque caput ; tunc litora sicca petivit.
366 Turbidus et plangens funestam currit ad urbem
367 et querula sic voce boāt : " Pro Juppiter, hostis
368 sic placet ulcisci Troes et perdere Graios ?
369 Pro Phrygibus pelagus saevit, mare vindice Trojae.
370 Quod pueri gessere nefas ? Quid mollior aetas
371 gessit in Iliacos bellorum tempore campos,
372 ne fuga sit miseris optata per aequora vectis ?
373 Vidi ego mergentes fluctu sorbente carinam,
374 in qua vectus eram comes et nutritor Atridum,
375 de qua solus inops evasi remige planta.
376 Justa Clytaemestra mitis crudelis Egistus :
377 saevior unda maris, quae nec post bella pepercit
378 pignoribus Danaum ! Felix jam Troja vocanda ! "
379 Diceret haec cum voce pia, raptatus ad aulam
380 muneribus cumulatur opum, quod gaudia ferret
381 mentibus incestis. Nam mox regina proterva
382 imperat acciri populos, venere coacti.
383 Aedibus in mediis quae sic est orsa profari :
384 "Eximii proceres Danaum populique pusilli,
385 quos Agamemnonii per ferrea lustra triumphii
386 non mersere neci, sed adhuc superatis inanes
387 visceribus vacuis, exhausti sanguine fuso :
388 quod vos sic minuit saevis Bellona duellis,
389 regis culpa fuit qui exhaustis civibus urbem,
390 conisus viduare nurus, orbare parentes
391 et natos spoliare rudes pietate paterna.
392 Inde ferox percussus obit sub morte securis
393 atque sua proles jacuit modo vindice fluctu.
394 Spondeo jam requiem, placidam sperate quietem :
395 otia pacis erunt, nullum nocturna cubantem
396 classica sollicitent, nullas tuba verberet aures :
397 temporibus licitis blandos recerpente somnos.

398 Aspera tela vacant : curventur falcibus enses,
 399 ossibus et nervis deflexos cornibus arcus
 400 ad solas aptate feras celeresque volucres.
 401 Deliciis epulisque bonis refovete senectam,
 402 pignora natorum dulces nutrite nepotes.
 403 Unica mors restat morbis finire salutem :
 404 tramite naturae finem labentibus annis
 405 jam sperare licet et praeter vulnera ferri
 406 corporis exitium ; fas est sperare sepulchra
 407 ordine legitimo ; flammis sperate rogales,
 408 et tumulum sibi quisque paret post busta perennem.
 409 Germinis ille sui crudelis et impius hostis,
 410 rex Agamemnon, erat patriae dominator amarus :
 411 civis Egistus erit me profitente maritum. "
 412 Dixerat et cunctos discedere jussit ab aula
 413 ac domibus remeare suis. Sed vilis adulter
 414 nescius atque rudis regnorum frena tenere
 415 ipse sibi genium fastu facit : ore minaci
 416 asper erat famulis regalibus, advena servis ;
 417 imperium non mite dabat quibus ipse profecto
 418 si famularetur, crimen sibi turpe putarent.
 419 Sceptra triumphorum data sub pastore tyranno
 420 pro pretio scelerum, mercedem sanguinis ostrum,
 421 matronale nefas, uxorem dedecus aulae,
 422 quis, rogo, non gemeret ? Tamen hos formido jubebat
 423 infami parere novo : timuere bubulcum
 424 acrius, Hectoreos qui non timuere furores.
 425 Jus Agamemnonium fuerat ; post Pergama capta
 426 verbero plectibilis comes armipotentis Achillis.
 427 Dum regnaret iners, Parcarum crimina, pastor
 428 et simul illicito sese fruarentur amore
 429 annorum septem spatiis et mensibus octo,
 430 ibat alumna manus tumulis regalibus omnis
 431 noctibus in mediis flens per haec tempora regem,
 432 anxia quae gemitum tremulis ululatibus usa
 433 temperie moderante premit terrente pavore.
 434 Tunc ibi libertus sollers, nutritor Orestis
 435 evomit in gemitus voces et verba doloris :
 436 "Optime rex quondam, sed nunc miserabilis umbra,
 437 prosperitas cui saeva fuit, victoria crimen
 438 intulit et mortem peperit post bella triumphus,
 439 cujus adoratus constat per templa precantis
 440 iratos audisse deos, placata negabant
 441 numina proventus : Danaos si vincere rectum est,
 442 si gremio Paridis remanens est rapta Lacaena
 443 (nonne laborastis, Helenam ne pastor haberet ?
 444 Ecce, tuam nunc pastor habet !), Si transitus est mors,
 445 si sensus post fata manent, post membra solutae
 446 si remanent animae, si stat post fata superstes
 447 spiritus, exaudi lacrimas fletusque tuorum !
 448 Rumpe solum, findatur humus telluris hiatu
 449 nixus et armatus subito furialibus umbris
 450 surge, velut quondam tumulo surrexit Achilles :
 451 exige supplicium de conjugue, solvat adulter
 452 tot poenas quot membra gerit. Morieris inultus,
 453 et pastor tua regna tenet ? Post busta severe
 454 exegit mortem de virgine Thessalus heros
 455 moribus innocuis : tu dux impune relinques

456 tot scelerum auctores victricia regna tenere ?
 457 Di, regitis quicumque chaos crudele barathri,
 458 rumpite tartareas proscisso gutture fauces,
 459 mittite virgineas funesta in tecta cerastas !
 460 Ne dubitate : truces venient ad regna Thyestis,
 461 notum iter invenient, sua per vestigia current
 462 (non estis Furiae, si quaeritis ante rogari
 463 ad quodcunque nefas, si non et sponte nocetis).
 464 Nec dubito quia justa peto, tamen oro cruenta.
 465 Spes mihi major adest : Thebis vicina petuntur
 466 moenia tartareis quondam sacrata tenebris
 467 et claro privata die sub luce diurna.
 468 Ergo precor, cum justa truces sententia mortis
 469 participes scelerum percusserit ense severo,
 470 vos Acheronteis tortoribus addite flammam
 471 et Furiis augete malum mortale venenum,
 472 torqueat auctores scelerum crudelis Enyo :
 473 non sat erunt quaecunque reis tormenta paratis. "
 474 Dixit ; et ex imo gemuit vox missa sepulchro :
 475 "Parcite funesto mentem vexare dolore
 476 meque piis onerare malis (relevare sepulchrum
 477 debuerat famularis amor), quem pessima conjunx
 478 criminibus succensa suis et amore pudendo
 479 vel fama prostante sua muliebribus armis
 480 extinxit, cui victor eram regressus ab hoste,
 481 erro decennalis fraternique ultor amoris,
 482 ultor adulterii, quem fudit adultera conjunx ;
 483 nec timuit foedare domum, maculare penates
 484 impete mortifero subita cum fraude, profana.
 485 Nam nec inultus ero, veniet his poena cruenta.
 486 Sed ne plura loquar, verum est Cassandra locuta :
 487 credite Cassandrae, verax Cassandra sacerdos. "
 488 Dixit, et abscedunt omnes linquendo sepulchrum.
 489 Illa nocte tamen volitans Agamemnonis umbra
 490 venit Athenaeis mox sedibus (altus Orestes
 491 illic quippe fuit, cum quo Pylades amicus :
 492 flatibus alternis perflans commercia somni
 493 lassus uterque fuit, concussus amore palaestrae)
 494 et stetit ante toros ambobus visus Atrides
 495 in somnis, non qualis erat post bella triumphans,
 496 sed qualis cecidit percussa fronte bipenni ;
 497 tristis, iners, tremulus, gemitu suspiria rumpens ;
 498 pallida puniceo perfuderat ora cruore
 499 et tremulas languore manus ; cervice vaganti
 500 ac pede vincla trahens quibus est abstractus ab aula,
 501 "Non pudet, o juvenes ", dixit, " pubentibus annis
 502 vestitos sub flore genas lanugine crispa,
 503 grandibus instructos studiis et fortibus armis,
 504 ut pastor mea regna notet promotus in arce
 505 sanguinea mercede, cluat sub crimine multo
 506 laetus et indomitus, tumida cervice supinus,
 507 plaudat et infamis vos jam (non fama ?) Perisse ?
 508 Sic peto Cecropidas vindictam sospite nato,
 509 incolumi Pylade suo ? Patroclus Achillem,
 510 Thesea Pirithous non sic expertus amavit.
 511 Armati gladios in bella domestica ferte
 512 atque affine nefas cognato abscindite ferro :
 513 nullum crimen erit matrem punisse nocentem ;

514 morte maritali sceleratam jure necabis.
515 Praecidit regnum Tamyris regina Getarum,
516 sed nil turpe gerens vindex fuit illa suorum ;
517 si fecit Medea nefas, flammata dolore
518 dulcis amoris erat, cum regia tecta cremabat
519 incolumi viduata viro de paelice Glauce ;
520 impia Lemniades sumpserunt arma puellae
521 atque maritali foedarunt sanguine lectos,
522 sed Veneris furor acer erat : facinusque nefandum
523 quod Scythicae gessere nurus, in crimine tanto
524 barbara turba fuit. Nam tu, regina Pelasgum,
525 Graecia quam genuit legum fecunda creatrix,
526 clara Mycenaei conjunx et vindicis uxor
527 crimen adulterii geminasti caede mariti.
528 Alcestis meminisse fuit, quae morte maritum
529 manibus eripuit, pia conjugis, impia de se.
530 Quid loquar Evadnen Thebanis ignibus ustam
531 et post fata viro flamma crepitante sodalem,
532 impia cum pietas, affectus dulcis amaram
533 jussit avere necem, quae contra vulnera luctus
534 fortior igne fuit, crudelibus usa medellis,
535 et simul ad manes in pulvere conjugis ivit ?
536 Pertulit urna duos, funus quos junxit, amantes.
537 Conubium felix ! Exemplum grande pudoris !
538 Impia sacrilego nupsit post fata marito :
539 pronuba flamma fuit, thalami rogos et pyra lectus.
540 Quid sit honestus amor, multae docuere puellae.
541 Natus amore pio flammatus morte paterna
542 vindicet ut patrem qui matrem straverit ictam,
543 crimina purgabit matris de tempore prisco ;
544 nam patrem docet esse suum quem vindicat armis,
545 dignus adulterii vindex, pius ultor et heres.
546 Noster amor Danais, sunt odia saeva duorum.
547 Ite pares animis : vobiscum vernula turba
548 sentiet ; irati potius quod tardius itis,
549 ore fremunt famuli, qui carpere dentibus optant
550 corpus Egisteum vel vivum, tradere flammis
551 conjugis infandae crudelia membra cremanda ".
552 Dixerat haec, gemitus somni rupere quietem.
553 Mox Agamemnonia proles instructa sodali
554 dum narrare parat sua somnia noscit ab ipso
555 ac stupet attonitus, quae tanta potentia patris
556 tempore sidereo mentes monuisse duorum.
557 "Dic mihi, frater ", ait, " dic jam modo, quid sit agendum.
558 Pectora, cor, sensus, animum, praecordia, mentem
559 conturbat pietas, dolor, anxia, maeror, origo,
560 affectus, natura, pudor, reverentia, fama.
561 Transigo funereum materna in viscera ferrum,
562 quae perpessa diu bis quino mense peracto
563 conceptus portare meos stimulante dolore,
564 semina naturae, blandae primordia vitae ?
565 Viscera lucis iter vel magni janua mundi.
566 Ast ubi sortitus nascendi jura peregi,
567 flumine pectoreo dedit ubera lactea labris,
568 dulcia nectareum fundentia mella saporem :
569 fit nutrix quae mater erat, regina ministra,
570 exhibet affectus proprios ignara soporis.
571 Haec pater, haec mihi mater erat pugnante parente,

572 donec ab undecimis me aetas eximeret annis.
573 Immemor existam tantorum in matre bonorum ?
574 An pater extinctus per me remanebit inultus ?
575 Facta luat pastor solusque superstite matre
576 corruat, et patrios manes satiabo cruore.
577 Poena sit haec matri, ut prostrato vivat Egisto,
578 ante oculos recidente suos ; muliercula tristis
579 aspiciat moechum, quae garrula vidit Atriden. "
580 Dixerat haec dubius, sed non cunctator amicus
581 dentibus infrendens suspiria traxit ab imo
582 pectore longa ferox et sic aggressus Orestem
583 increpitat : " Sic sensus iners tua corda tepescit,
584 ut facienda putes quae nec dicenda fuissent ?
585 Dicere grande nefas, scelus est audire nefandum :
586 imus ad Argolicas veniam donare Mycenae
587 criminibus matris ? Magis est quae dignior, oro,
588 (a scelus indignum !) Poenis ferienda duorum ?
589 Quaeso cave, juvenis, Danaum praescripta dolentum,
590 ne, jugulatricem patris dum vivere censes,
591 credaris non esse suus. Non jure parentis
592 umbra soporatum quae te convenit Athenis,
593 occurret per mille vias ? Per limina portae
594 obsidet et tremulis haec vocibus astra lacesens
595 invehitur : " Sic, nate, paras defendere patrem,
596 sic decet extincti genitoris fata dolere,
597 sic dabis inferias nostris tu manibus ultor ?
598 Vitricus optabit tali se morte perire,
599 ut sit quae post membra rei crudelibus umbris
600 ingerat inferias animam parcentis Orestis :
601 victima servaris, fuerit nisi victima mater.
602 Quid facias genitore tuo tibi maesta loquente ?
603 Parcitur infaustis : pius es pietate repulsa.
604 Ad tumulum patris fundantur membra reorum !
605 Surge juventutis melior spes indole regni,
606 excitet ingenium virtus et gloria mentem,
607 armentur pietate manus, crudelior ensis
608 truncet in extremo gemitu fera colla duorum.
609 Ibo libens comes ipse tuus per tela, per ignes
610 nec metuam quemquam, vestri sunt patris alumni.
611 Sed dabo consilium sollers, immune, salubre :
612 explorator eam ; tacita quos voce monebo
613 adventus sperare tuos. Quae turba ministra
614 credula dum fuerit, nobis mox corde favebunt
615 ac pro te rapiunt gladios : sic tutius itur. "
616 Talibus alloquiis accensus felle doloris
617 erigitur juvenale fremens, mortemque minatus,
618 (dentibus illis frangebatur murmura morsus)
619 et, quasi adulterium caperet pastoris Egisti
620 matris in amplexus infamia membra ligare,
621 percutit absentes nullo moriente reorum :
622 qualiter infremuit post somnia Pyrrhus Achillis,
623 quae sensus monuere suos cum nocte sopora
624 Aeacide stimulante truci, cum posceret heros
625 virginis inferias in Pergama saevior umbra.
626 Ergo ubi consilium placuit Pyladis Oresti,
627 mentibus armantur, solis mucronibus usi.
628 Callibus occultis, qua semita ducit euntes,
629 ibant obscuro quaerentes ausa latere,

630 donec in infames jugulos vindicta veniret.
631 Sic Diomedeos gressus comitatus Ulixes
632 Dardana nocturnus peteret cum castra viator,
633 sollicitum carpebat iter (non indice cornu
634 classica bellisonis quatiunt clangoribus auras,
635 sed pede suspenso tacitus sine flatibus oris
636 ibat ab Argolicis progressus puppibus audax
637 fortior Oenides, sollers Laertius heros) :
638 sic et Athenaei juvenes petiere Mycenae.
639 Qui dum iter inceptum peragunt, nutritor Orestis
640 apparet Dorylas subito trepidantibus illis :
641 "Unde venitis ", ait, " juvenes, quive estis, amici,
642 quove tenetis iter ? " Qui nullis vocibus usi
643 dum transire parant, Dorylas cognovit Orestem,
644 cujus in amplexum per dulcia colla ruebat
645 "Vivis alumne ? " Sonans " quia vivis, vivimus omnes.
646 Cessimus insidiis, dum luxuriatur adulter :
647 deliciis fruitur polluta matre potitus,
648 templa triumphorum, regalia tecta potentum,
649 et delubra deum vel puluinaria regum
650 crimine prostituens gaudet fecisse lupanar.
651 Nos tamen ad tumultum magni genitoris euntes
652 plangimus assidue ; cujus promissa tenemus,
653 quamvis Cassandrae fuerint responsa priora,
654 quod superest cito poena reis. Properate, sodales
655 indole Cecropia : vobis divina favebunt ;
656 regia familia scelus hoc punire precantur.
657 Ne dubitate, viri, vestras accendere mentes
658 et capulis armare manus, astringere ferrum :
659 hunc stimulet pietatis amor, te foedus amici,
660 hinc dolor exurgat, hinc famae pulchra cupido.
661 Nec labor ullus erit mulierem sternere turpem ;
662 rustica praeterea quae sit mora frangere membra ? "
663 Dixerat haec senior. Spes haec accendit amicos
664 accelerare gradus : prope jam non esse Mycenae
665 quisque dolent juvenes ; sed "pergimus" inquit Orestes,
666 "acceleramus iter " subicit Pylades et inquit
667 "ito prior, senior ; nos festinare necesse est,
668 audiat haec servilis amor secretus in aurem
669 et subito speret nos quarta luce venire. "
670 Dixit, et abscedens senior praecessit ad urbem :
671 gaudia dant gressus celeres, quos denegat aetas.
672 Jamque iter emensum : fessus pervenit ad arces,
673 indicat occulte paucis quia vivit Orestes
674 et venturus erit vindex sub luce futura
675 sanguinis auctoris, monitis urgentibus omnes,
676 ut taceant furtimque ferant cuicumque ministro.
677 Cunctis nosse licet, solis hoc scire negatur
678 complicibus scelerum, ne se subducere possent
679 aut armis conferre manum, defendere vitam.
680 Adventum ad domini retinet pars vernula portas,
681 altera pars aedes, pars obsidet altera muros.
682 Reddidit interea rutilum post astra refundens
683 depositum natura diem stridentibus undis ;
684 sol micat et melior compensat damna Thyestis.
685 Viderat Atrides muros, quos liquerat infans,
686 sed memor illorum dextram cum voce tetendit :
687 "Salve, prisca domus, patriae salvete Mycenae,

688 execranda prius, sed post veneranda manebis :
689 sanguine si matris cineres satiabo paternos.
690 Sentiet umbra potens ultam se vindice nato,
691 quando Clytaemestram percussam vulneris ictu
692 viderit uxorem velut auguris Amphiarai. "
693 Dixerat et trepidus muros circumspicit hospes ;
694 qua meminit, carpebat iter comitatus amico.
695 Postquam introgressus, cognoscit turba ministra
696 os Agamemnonium, gressus oculosque manusque
697 et planctu gaudente fremunt sine vocibus oris.
698 "Jam portae claudantur ", ait Pylades Orestis.
699 Clastra ligant aditus, crepuerunt classica Mortis.
700 Securi stupere rei, terretur Egistus.
701 "Non ego promisi Danais per saecula quietem ?
702 Nullus ad Argolicos moveat qui bella remansit
703 Hectore consumpto, Troja pereunte sub armis "
704 dicebat regina furens irata ministris ;
705 "Vindico, sic vivam mecumque senescat Egistus. "
706 Talia dum loquitur, quasi vindex saeva minatur,
707 una puellarum male concita currit anhelans :
708 "Venit Orestes ", ait, sed statim credita non est.
709 Dum dubitant somnumque putant et vana locutam,
710 apparet violentus, atrox, Pylades in aula,
711 qualis in hoste fuit trux, irrevocabilis Ajax,
712 Hectorsa cum peteret clipeo septemplique tectus ;
713 ore fremens et fronte minax, mucrone coruscus
714 intonat auctores scelerum : " Crudelibus ausis
715 regnantes nunc usque truces evadere justas
716 sperastis vos posse manus ? Modo saeva luetis
717 supplicia scelerum non una morte perempti. "
718 Dixit et ad famulos ultricia verba retorsit :
719 "Praecipitate nefas solio de principis ictum
720 et pede tractus eat fera victima regis Atridis.
721 Carnifices frangant durissima membra secures
722 et pereat pastor qua regem morte peremit ;
723 ante tamen nostram perfundat sanguine dextram. "
724 Dixit et exertum costis immerserat ensem.
725 Saucia membra trahunt famuli pede vincla ligantes
726 postque fores portae, quibus est prostratus Atrides,
727 ossibus effractis minuunt per mille secures,
728 et male partitos per vulnera palpitat artus.
729 At genetrix dilata putat sibi parcere natum
730 et secura sui jam pro pastore dolebat,
731 cum subito truculentus adest immanior hoste
732 matris in exitium famulorum nixus Orestes
733 agmine terribilis, qui captam crine trahebat
734 increpitans : " Impune tuum post funera patris
735 sperasti regnare nefas tumuloque parentis
736 jungere natorum voluisti fata duorum ?
737 Vivo (vides), scelerata parens, moriere cruenta
738 sic manibus jugulata meis super ossa mariti. "
739 Conturbata parens nudis exerta papillis
740 orabat natum : " Per haec, puer, ubera, parce !
741 Per superos patremque tuum, per cara sororis
742 pectora, quae nostro te tunc rapuere furori,
743 et per Pyladen, quod plus est, testor amicum :
744 da veniam, miserere, precor, miserere parenti,
745 si dici sum digna parens. " Tum natus : " Inanes

746 perdis " ait " lacrimas, genitor te expectat ad umbras.
747 Ilias ingemuit domini Cassandra ruinam
748 nec ferit Andromache famulans post Hectora Pyrrhum,
749 cum regina Phrygum fieret captiva Pelasgum :
750 praelato pastore ducis tu colla cruentas.
751 Haec mihi Pylades meus imperat et soror urget,
752 ut jaceas mucrone meo, truculenta virago. "
753 Ast ubi nil potuit mulier de prole mereri,
754 mox redeunt animo Phrygiae praesagia vatis.
755 "Si placet ulcisci genitorem " dixit, " in ambos,
756 Pyladis me dextra necet, necet ensis et idem,
757 et super ossa ruam recidens spirantis Egisti
758 et scelerum complex et nostri criminis auctor ;
759 mixtus uterque cruor testabitur omnibus umbris,
760 consortes scelerum quia sors manet una malorum. "
761 "Quod super ossa rogas moechi moribunda jacere ",
762 natus ait, " melius recides super ossa mariti ;
763 nec cruor amborum miscebitur ense minaci,
764 criminibus ne fructus eat morientis amoris
765 aut operae pretium capiatis sorte malorum,
766 supplicio sociante nefas : discreta jacebis. "
767 Dixit et ad patris veniens dat verba sepulchrum :
768 "Sancte parens, quia sensus iners et spiritus extas,
769 accipito inferias, quas offero. Victima justa est :
770 macto Clytaemestram matronam regis Egisti
771 atque (utinam non !) Ante tuam. Solacia nosce :
772 nam jacet ille loco, quo tu percussus obisti.
773 Aetatis mora justa fuit, quod tardius hoc fit ;
774 olim velle fuit. " Subicit Danaeia mater :
775 "Sol, pietas, elementa, poli, mare, flumina, tellus
776 et rerum natura parens, tuque atra vorago,
777 expectate vices nato redhibente parenti
778 quod genitus fuerit, mercedem cernite lactis. "
779 Dixerat haec genetrix, surdis tamen auribus inquit.
780 Quod potuit pietas, vultus avertit Orestes.
781 Sol negat almus equos iterum de more Mycenis
782 atque tenebroso subtexitur aere caelum,
783 et non legitimam timuit mox Graecia noctem,
784 extimuit natura chaos, elementa tenebras ;
785 laudat Enyo nefas, dextram capulabat Erinys.
786 Pallia purpurea praestricto dente momordit,
787 concidit et tunicam manibus tendebat ad imos
788 usque pedes, metuens ne mortua nuda jaceret :
789 maesta verecundo volvebat lumina visu,
790 vix semel, infelix, extrema in morte pudica,
791 quod non ante fuit, metuens in funere famam.
792 Candida puniceo rutilantur membra cruore,
793 verbere corporeo pressas quatiebat harenas,
794 tandem jussa mori vitam cum sanguine fudit.
795 Tunc repetunt pariter regalia limina torvi :
796 sic duo terribiles fulva cervice leones
797 caede juvenearum satiati lustra reposcunt.
798 Regia sanguineos susceperat aula sodales ;
799 conveniunt Danai, regis sub honore salutant,
800 pars dolet Atriden, sed pars dolet altera matrem,
801 nemo tamen facinus verbis culpabat apertis,
802 nec fuerat quisquam qui non damnaret Egistum.
803 Transierat funesta dies, sol merserat undis

804 oceano stridente rotas, redeunte sorore
805 roscida somnigerum revocabat palla soporem,
806 tempus adhuc mediumolvebant sidera noctis :
807 nuntius Hermione venit de virgine rapta,
808 stirpis Achilleae Pyrrhi praedante rapina.
809 Mox furit Atrides, qui sic est orsus amico :
810 "Nos alius vocat ecce labor, novus ignis amoris.
811 Quid faciam ? Scelus est, passim rapiatur adulta
812 sponsa toris promissa meis. Tu regna gubernas ;
813 ibo ego per gladios, flammam et mille cohortes,
814 (nam decet ultorem patris sibi quoque mereri),
815 dum tamen eripiam clamantem nomen Orestis. "
816 Dixit et accinctus capulo produxit in hostem.
817 Repperit Aeacidem subientem templa deorum
818 aggreditur juvenem, securum obtruncat ad aram
819 et redit ad Danaos elatus caede secunda.
820 Dum solio fruitur patrio diademate pulcher,
821 astitit ante oculos genetrix sua non ut inermis,
822 sed faculis armata rogi, succincta cerastis.
823 Ignibus admotis resolutos orbibus angues
824 ingerit in faciem juvenis, mortale minatur.
825 Terruerant haec monstra virum, fugit atria lustrans,
826 sed sequitur metuenda parens ; petit ille recessus
827 per secreta domus, illic magis invenit hostem.
828 Obice postposito mox janua clauditur omnis :
829 repperit interius matrem in penetralibus aulae.
830 Infremuit conata loqui : " Crudelior ", inquit,
831 " Impie, non sat erat pietatis vulnus acerbum,
832 ut scelerata manus macularet sacra deorum ?
833 Claude adamantas ferrato cardine portas,
834 obstrue per chalybem, si sunt tibi mille fenestrae :
835 omnibus ipsa locis adero tibi saevior umbra
836 per freta, per campos, per silvas, flumina, montes. "
837 Dixit et igne rogi crepitanti pectora turbat.
838 Ast ubi perniciem non est fas vincere matris,
839 it manus ad capulum, sed crebris ictibus auras
840 dividit et vacuum revocat sine vulnere dextram
841 ac miser increpitat : " Meus est hic mucro cruentus
842 quo, meretrix, percussa jaces, feriere secundo ".
843 Dixit et agnoscens gladium gravis umbra fugatur
844 aera per tenerum, tamen, heu, remanente furore.
845 Perfurit Inachus vindex, Agamemnonis heres,
846 ut furit ex Baccho male sobrius ille Lycurgus,
847 ut furit Alcides saeva terrente Megaera,
848 ut quondam furuit Danaum fortissimus Ajax.
849 Infremuit impatiens, tota discurrit in aula.
850 Qui famulos matrem, matrem putat esse sodales :
851 mater erat quicumque fuit, vicinus ubique
852 aspis et ignis erat ; fugit hos, simul appetit illos,
853 Pyladis tantum facies non terret amicum.
854 Inter delicias epulis regalibus aptas
855 esurit et facibus prohibetur tangere mensas.
856 Sic inferna fames animo torquetur inane :
857 prandia conspiciens dapibus conferta potentum
858 ingemit, ac nullus cibus est, sed imago ciborum,
859 quos ne contingat Furia cohibente vetatur.
860 Quid faciat ? Quos ille deos, quae numina poscens
861 eliciat supplex ? An tertia regna fatiget ?

862 Dum deflent omnes et tota plangitur aula,
 863 alter adest gemitus, tristis dolor et metus ingens.
 864 Venerat Andromachae soboles Pyrrhique Molossus
 865 ultorem genitoris agens. Pylades Orestem
 866 tollit et externas subtractum mittit ad oras.
 867 Litora contigerat, fuerant ubi templa Dianae ;
 868 mos ibi saevus erat : miser advena victima ferri
 869 ducitur. Erectus mox stat vittatus ad aras.
 870 Vidit ut armatur quod ferro ex more sacerdos,
 871 expulsus terrore furor : mors proxima mentem
 872 reddidit et partem tribuere adversa salutis ;
 873 nam miser ingeminans Agamemnona saepe vocavit.
 874 Audierat sollers Iphigenia nomen Atridis :
 875 "Hostia, dic, quis eras, aut cur Agamemnona clamas ? "
 876 Saucius ille refert : " Ego sum miserandus Orestes
 877 matre Clytaemestra genitus, regnator Atrides
 878 noster erat genitor. " Non ultra passa loquentem
 879 projecit cultrum percussa fronte sacerdos :
 880 "Solvite, carnifices, trepidantia membra ligati :
 881 sanguine corda carent, non est haec hostia grata. "
 882 Dixit et exutum vittis summovit ab ara,
 883 omnibus exclusis non se negat esse sororem :
 884 sed videt interdum vitiata mente furentem
 885 nil sano sermone loqui. Quem nocte precatu
 886 purgat et ablata migrat cum fratre Diana.
 887 Ut patriam rediere suam, mox Fama Molossum
 888 instruit : accusat gemino de crimine Orestem :
 889 legibus exhibitum mediis induxit Athenis.
 890 Conscendere patres templum praebente Minerva ;
 891 surgit Achilleus stimulatus amore paterno
 892 et sic orsus ait : " Proceres, legalis origo,
 893 arguo mortiferum sceleratae mentis Orestem,
 894 sanguinis oblitum, humani juris egenum,
 895 sacrilegum superum, perfusum sanguine matris
 896 et dextra fundente sua. Sed adultera forsitan
 897 mater erat. Pyrrhus numquid fuit alter Egistus,
 898 quem necat in templo caelestia dona ferentem,
 899 eversorem Asiae, natum armipotentis Achillis ?
 900 Forte refert quia mater erat scelerata profana,
 901 crimen adulterii cumulat quae morte mariti.
 902 Percutienda fuit rea maxima iudice justo,
 903 non tamen ense suo. Quid jam peccasse pudebit,
 904 cui prius est in matre nefas ? Censete severa,
 905 Cecropidae proceres : decet ultio talis Athenas.
 906 Cujus in exitium sat erit non culleus unus ;
 907 talibus hic opus est : aequentur vulnera membris,
 908 partibus abscisis sibi sit de morte superstes,
 909 tempore sit modico vivax laniando cadaver. "
 910 Haec ait et tacuit. Cui sic respondit Orestes :
 911 "Summates Danaum, sapientes, lumina cordis,
 912 culmen Athenaeum, censores juris honesti,
 913 gaudeo securus quod apud vos causa movetur,
 914 sunt quibus uxores, quibus est affectus amandus,
 915 et meminisse reor primaevi temporis annos,
 916 quid sit amor sponsae, thalami quae vota futuri.
 917 Dis superis grates, quod post tot funera mentis
 918 arguor assistens inter subsellia sospes.
 919 Incolumis veneror sanctum per jura tribunal,

920 a licito discerno negas. Tractate, verendi :
 921 non de lite mea sententia vestra ferenda est,
 922 sed de jure deum, qui me purgasse probantur,
 923 dum medicinalem tribuunt per corda salutem ;
 924 nemo poli servare deum, puto, vellet iniquum.
 925 Justior invenior, dum matrem vindicat ultor :
 926 si ulciscenda rea genetrix, quid jam pater insons ?
 927 Quis, rogo, sacrilegus, quis demens audeat almos
 928 accusare deos, quibus est perfecta potestas ?
 929 Scilicet accuset, vocet in certamina divos,
 930 oiciat facinus : praesumat bella gigantum.
 931 Forsitan obiciat : fuerant cur ergo furores ?
 932 Cura doloris erat, proceres, nec poena reatus :
 933 taedia sollicitant animos mentemque fatigant.
 934 Pyrrhus erat raptor, vindex post bello rapinae :
 935 arguit unus, iners, quem comprobat ordo deorum.
 936 Quaeso, duces legum, sententia vestra resolvat
 937 purgatum sub jure deum, sub sorte benigna. "
 938 Dixit et imposuit moderata silentia linguae.
 939 Consilium petitur, facta tractantur Orestis.
 940 Mos erat arbitrii quod dispar calculus iret :
 941 albus adest vitae, nam mortem russeus urget.
 942 Judicii certamen erat, sententia duplex
 943 discrepat et numerus par est utrique coloris.
 944 Calculus albus erat, habuit quem dextra Minervae :
 945 is datur ad vitae numerum, " Purgandus Orestes ; "
 946 dicitur et procerum talis sententia fertur :
 947 "Si decreta deum homini tractare liceret,
 948 posset Orestis opus legali tramite quaeri ;
 949 sed quia praescripto capimur, clementia caeli
 950 non sinit audiri, juris censura quiescat.
 951 Quis temerator erit caelestia jura movere ?
 952 Non erat impunis Paris arbiter ille dearum,
 953 Tiresias nec erat judex impune Tonanti.
 954 Raptor obit Pyrrhus, justo mucrone peremptus.
 955 Quod per templa ruit, fuit et perfecta potestas,
 956 si vellent, punire deis. Securus Orestes
 957 sitque redux patriae nullo damnante reatu. "
 958 Actum erat. Excipiunt populi clamore faventes,
 959 suscipit egressum Pylades laetus amicum
 960 amplexaeque tenent laeva dextraque sorores,
 961 quattuor et reduces laeti petiere Mycenae ;
 962 regia divitiis replentur tecta relatis.
 963 Di, quibus imperio est facilis concessa Tonantis
 964 aeris et pelagi terrae caelique potestas,
 965 vos Pietas miseranda rogat, vos mitis Honestas,
 966 vos bona Simplicitas, Affectus sanguinis orat,
 967 vos Genus humanum, Consortia sancta cruoris,
 968 Stemmata vos generis, Cognatio juncta precatur :
 969 crimina Lemniadum sat erant, Danaeiae facta,
 970 quae thalamos fecere rogos, et facta Thyestis
 971 innumerumque nefas, quod sit narrare pudoris ;
 972 ecce Mycenaea triplex jam scaena profanat
 973 Graiugenum famam : vestro jam parcite mundo
 974 atque usum scelerum miseris arcete Pelasgis.